



PARS PRIMA

DE

PERTINENTIBUS AD SIMPLI-
CEM APPREHENSIONEM.

INFORMATIO PRIMA

De Terminis.

PER terminum in acceptione dialecticâ in-
telligitur pars propositionis, sicut autem
propositio alia est mentalis, quæ in men-
te tantùm formatur, alia vocalis, quæ ore
exprimitur, alia scripta, quæ scribitur, sic etiam
terminus alius est *Mentalis*, alius *Vocalis*, alius
Scriptus. *Terminus mentalis* est *pars constitutiva*
propositionis mentalis, *terminus vocalis* est *pars*
constitutiva propositionis vocalis, *terminus scrip-*
tus est *pars constitutiva propositionis scriptæ*.
Quarum definitionum sensus patebit ex mox
dicendis. Cum verò *terminus vocalis* sit no-
tior & usitator *mentali* & *scripto*; idèd in
præsenti potissimum agitur de *termino vocali*,
ejusque tum *definitio*, tum *divisiones* exa-
minantur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Naturâ Termini Vocalis.

2. **CONCLUSIO.** Terminus vocalis definitur
Vox significativa ad placitum, ex quâ simplex per se conficitur propositio.

Explicatur, Dicitur primo vox significat. va ad placitum. Vox enim triplex est, alia nihil significans, ut: Blictri. Alia naturaliter significans, ut: Gemitus Infirmi. Alia significans ad placitum, sive quæ ab antiquis imposita est ad rem aliquam propriè significandam, sic vox: Homo est imposita ad significandam naturam humanam; & talis vox requiritur ad terminum. Neque ad eum sufficit qualiscunque sonus, sed debet esse Vox vel Sonus ab ore animalis proiatus, cum intentione aliquid significandi, unde ad terminum non pertinent clangor tubæ, strepitus pedum, sonus campanæ &c.

Dicitur secundò. *Ex qua, quia termini sunt partes, ex quibus propositio immediatè componitur.*

Dicitur tertiò; *simplex per se conficitur propositio, quia terminus, tanquam pars, per se & ex naturâ suâ petit componere propositionem, & quidem simplicem vel categoricam, terminus enim debet componere propositionem immediatè, sola autem propositio*

in simplex
 ut. Unc
 via contat
 his constat
 Colliges
 ones, ut
 est, c
 ad materi
 d facier
 trinalen
 maliter,
 formalit
 manifest
 manifesta
 Dices
 potest et
 potest et
 sione
 obiectur
 in ordino
 R. dist
 ut &c. N
 igitur eni
 copis sit;
 Urgebi
 pitione
 solutione
 iplo, acc
 propositio

fitio simplex ex terminis immediatè componitur. Unde inclaret bonitas definitionis, quia constat genere & differentiâ, quod amplius constabit ex sequentibus.

Colliges primò. Quod voces nihil significantes, ut: *blictri*, non sint termini. Ratio est, quia non sunt signa NB. *formaliter*, sed *materialiter* talia, ideòque non deserviunt ad faciendam propositionem *logicam* vel doctrinalem. Dictum est: *non sunt signa* NB. *formaliter*, sed *materialiter talia*, signum enim formaliter tale est illud, quod præter se aliud manifestat, voces autem nihil significantes manifestant *nudum sonum*, & præterea nihil.

Dices, vox nihil significans v. g. *blictri* potest esse subjectum in propositione, ergo potest esse terminus, P. ant., in hac propositione: *blictri est disyllabum*, *ly blictri* est subjectum, ergo. P. ant., *ly blictri* ponitur ordine constructionis ante copulam, ergo. R. dist. ult. ant. *Ly blictri ratione sui* ponitur &c. N. A. *ratione alterius* C. A. subintelligitur enim particula *vox*, ut sensus propositionis sit: *vox blictri est disyllaba*.

Urgebis primò. Sed *ly blictri* in dicta propositione accipitur ratione sui, ergo contra solutionem. P. ant., quod accipitur pro se ipso, accipitur ratione sui, sed in dicta propositione *ly: blictri* accipitur pro se ipso,

so, ergo, P. min. *blictri* non potest accipi pro alio, quia non est vox significativa, ergo accipitur pro se ipso.

R. dist. prob. antecedentis, quod accipitur pro se ipso *in ratione formaliter significantis*, hoc accipitur ratione sui C. maj. quod accipitur pro se ipso *in ratione materialiter significantis*, hoc accipitur ratione sui N. maj. Similiter dist. min.: N. coam, *blictri* sumitur pro se ipso materialiter, sive pro nudâ voce.

6. Urg. 2do, sed *ly blictri* in dicta propositione aliquid significat, ergo, P. ant. *blictri* est *signum vocis nihil significantis*, ergo.

R. dist. prob. ant. *Blictri* est signum vocis nihil significantis, & illa significatio est *materialis* & illiterata C. ant., & illa significatio est *formalis* & doctrinalis N. ant. Qui audit proferri hanc vocem: *blictri*, nihil docetur, quia plus non intelligit, quam sonum.

7. Colliges secundô. Quod literæ & syllabæ non sint termini *logici*. Ratio est, quia ex literis & syllabis propositio non fit *immediatè*, sed *mediatè*, id est, mediantibus integris dictionibus.

8. Dices. Quod terminat propositionem, hoc est terminus, sed literæ & syllabæ *terminant* propositionem, ergo sunt termini.

R. dist. maj., quod terminat propositionem *formaliter* spectatam, hoc est terminus C.

maj

maj., quod terminat propositionem *materia-*
liter (pectatam N. maj. Similiter dist. min.
N. coam Literæ non terminant propo-
sitionem sumptam formaliter, in ratione affirman-
tis vel negantis.

Urgebis. Sed etiam literæ terminant pro- 9.
positionem formaliter sumptam, ergo contra
solutionem, P. ant., hæc est propositio A-
ristotelis formaliter sumpta: *A est B*, sed
hanc propositionem terminant literæ A, &
B, ergo.

R. ad prob. C. maj. dist. min., sed hanc
propositionem terminant literæ *quatenus lite-*
ræ sunt N. min., terminant literæ *quatenus*
ponuntur loco terminorum C. min. Similiter
literæ vocales positæ in dictionibus, *Barbara*,
Celarent & aliis [de quibus agetur P. 3. Dial.)
non considerantur à Dialecticâ, quatenus
literæ sunt, sed quatenus significant qualita-
tem vel quantitatem propositionum.

Colliges tertio, quod propositio ut: *Homo est* 10.
Doctus, non sit terminus. Ratio est, quia termi-
nus debet esse pars *per se ordinata* ad compo-
nendam propositionem, sed propositio non est
pars per se ordinata ad componendam propo-
sitionem aliam, cum propositio sit aliquod
totum, quod non per se, sed tantum *per acci-*
dens ordinatur ad aliud componendum. Ea-
dem ratio evincit, quod oratio, ut: *Animal*
rationale, non sit terminus. Dices,

II. Dices. Oratio potest componere propositionem, ergo oratio est terminus. P. ant. hæc oratio: *Animal rationale*, componit hanc propositionem: *homo est animal rationale*, ergo.

R. Dist. Prob. ant. Hæc oratio: animal rationale, sumpta *in ratione orationis* componit propositionem N. ant. sumpta *in ratione termini complexi* C. ant. animal rationale dupliciter spectari potest, 1mò, ut est terminus complexus, & sic est pars per se, & componit propositionem. 2dò, ut est oratio, & sic non est pars; sed totum, neque propositionem componit per se, sed ad summum per accidens.

12. Colliges quartò, quod copula NB. *exercitè sumpta* non sit terminus. Ratio est, quia terminus debet esse *pars constituens* propositionem, copula autem *exercitè sumpta* non est pars propositionem constituens, sed tantum est *unio vel nexus partium*, sicut *clavi non sunt partes navis, sed tantum conjunctiones partium navis*. Ait. S. Thom. 1. perih. Lect. 1.

Dictum est copula NB. *exercitè sumpta*, potest enim copula spectari dupliciter, 1mò *exercitè & formaliter*, in quantum exercet officium copulæ, id est connectit partes, & sic non est terminus. 2dò *signatè & materialiter*, in quantum est vox latina ad placitum *significa-*

nificativa, ut in hac propositione: *Est* est copula. Sumitur etiam materialiter quando significatur per hoc nomen *copula*, ut: *copula est unio*, & sic copula potest esse terminus.

Dices imò. *S. Th. 1. perih. Lect. 1. Ait: verbum est pars enuntiationis. Et 2. perih. Lect. 2. quandoq; in enuntiatione verbum: est, prædicatur secundum se, ut cum dicitur: Socrates est, ergò copula sive verbum est est terminus.*

R. Ad 1. textum, velle *S. Th.* quod verbum non sit pars constituens propositionem, sed tantum uniens partes propositionis, hoc autem non sufficit ad rationem termini, in formâ *D. Verbum est pars enuntiationis uniens C. constituens N. enuntiationo enim, ait S. Th, Lect. 9. constituitur ex subiecto & prædicato.*

R. Ad 2. explicando sub distinctione: verbum est prædicatur secundum se *in ratione verbi N. in virtute participii subintellecti C.* nam in verb. *est* involvitur participium: *Existens*, ut sensus sit: *Socrates est existens*, sicut in hac propositione: *studere non est otari*, ly: *studere & otari* sunt subiectum & prædicatum, non in quantum verba sunt, sed in quantum ponuntur nomine substantivorum, unde propositio sic explicatur, *studium non est otium.*

Dices 2dò. Ideò copula exercitè sumpta, non esset terminus, quia est medium uniens partes propositionis, sed illa ratio nulla est, ergo,

ergo , P. min. quamvis medium syllogismi uniat majus & minus extremum , tamen *medium* syllogismi est terminus , ergo etiam quamvis copula sit *medium* uniens partes propositionis , tamen copula est terminus.

R. Ad prob. min. C. ant. N. Coam, disparitas est , quia medium syllogismi ita unit majus & minus extremum , ut tamen ipsum simul subjiciatur vel prædicetur in præmissis , copula verò exercitè sumpta in propositione neque subjicitur neque prædicatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Voces extra Propositionem sint Actu Termini ?

15. Prænotandum. Quod voces significantes ad placitum tripliciter considerari possint , imò *absolutè & secundum se* , in quantum sunt impositæ ad aliquid significandum , non verò sunt ordinatæ ad constituendam propositionem , voces sic acceptæ habent *potentiam remotam* componendi propositionem , & non sunt *actu* termini. Secundò *cum ordine ad propositionem* , in quantum intellectus voces illas ordinavit ad propositionem constituendam , sic acceptæ habent *potentiam proximam* componendi propositionem , 3tò *prout actu propositionem componunt* , & ponuntur vel ante vel post copulam , in hac tertiâ acceptio-
ne

ne constat, quod voces sint *actu* termini, dubium igitur est de vocibus secundo modo acceptis.

CONCLUSIO. Voces in secundâ accep- 16
tione sunt actu & propriè termini, Ratio est, quia *verba in definitionibus posita non dicunt actum sed potentiam*, ergo dum in definitione termini dicitur, quod sit vox, ex quâ componitur propositio, *ly conficitur non debet intelligi de actuali exercitio*, sed tantùm de *potentiâ proximâ* componendi, voces autem positæ extra propositionem, dummodo ad illam per intellectum sint ordinatæ, habent potentiam proximam componendi, ergo sunt actu & propriè termini.

Declaratur hoc imò: Homo definitur, quod sit animal rationale & tamen ad hoc, ut aliquis dicatur actu homo, non requiritur ut actu ratiocinetur. 2dò: civis dicitur actu pars civitatis, dummodo ad civitatem sit deputatus, licet in eâ actu non moretur. 3tiò iudex est actu, non tantùm quoad nomen, sed etiam *quoad officium* iudex, licet actu non iudicet, ergo simili modo in præsententi philosophandum est de vocibus extra propositionem.

Dices imò. Terminus ab Aristotele de- 17.
finitur, quod sit id, in quod *resolvitur* propositio velut in prædicatum & subjectum, sed

sed illa definitio non convenit vocibus extrà propositionem, ergo voces extrà propositionem non sunt termini, P. min: resolutio supponit compositionem propositionis, sed voces extrà propositionem necdum sunt in compositione propositionis, ergo.

R. D. 1^{am} maj. Terminus *actu componens* definitur ab Aristotele, quod sit id, in quod resolvitur propositio &c. C. maj. terminus *simpliciter talis* N. maj. & C. min. D. conf. ergo voces extra propositionem non sunt termini *actu componentes* C. coam non sunt termini *simpliciter tales* N. coam, ad terminum simpliciter talem sufficit, quod sit pars, ad hoc autem, ut vox aliqua sit actu pars propositionis, non requiritur, ut eam actu componat, sed satis est potentia proxima componendi. Sicut anima rationalis separata à corpore manet actu pars hominis, licet hominem actu non componat.

18. Urgebis. Sed etiam voces extrà propositionem non sunt actu termini simpliciter tales, ergo cont. sol. P. ant. voces extrà propositionem sunt *indifferentes* ad eam componendam vel non componendam, ergo. P. ant. vox *animal* potest æquè poni ac non poni in propositione, ergo.

R. D. 2^{dum} ant. Voces extrà propositionem *secundum se sumptæ* sunt indifferentes C. ant.

ant. : voces ordinatae ad propositionem N.
ant.

Dices 2do. Terminus dicitur à terminando, sed voces extra propositionem non terminant propositionem, ergo non sunt termini.

R. D. maj. Terminus dicitur à terminando vel actu vel potentiâ C. maj. à terminando semper actu N. maj. Similiter D. min. N. consequentiam.

Urgebis imò. Quod actu terminat, est actu terminus, ergo quod potentiâ terminat, est potentiâ terminus.

R. D. ant. Quod actu terminat, est actu terminus, quoad actuale exercitium termini, C. ant., est actu terminus præesse quoad rationem essentialem termini N. ant. similiter dist. cons. Vox extrâ propositionem habet essentiam termini, vox intrâ propositionem dicit præterea exercitium compositionis, quod termino simpliciter tali non est essentialis.

Urgebis 2do. Extra propositionem non datur copula, ergo etiam extra propositionem non datur terminus.

R. C. ant. N. coam disparitas est, quia copula consistit in actuali exercitio uniendi prædicatum cum subjecto, extra propositionem verò non exercetur unio prædicati cum subjecto

jecto. Terminus verò simpliciter talis non consistit in actuali exercitio terminandi, sed in eo, quod vox sit ab intellectu ordinata ad propositionem constituendam, qui ordo etiam habetur extra propositionem.

22. Urgebis 3tio. Metallum latens in mineris habet potentiam, ut exinde cudatur moneta, & tamen non dicitur actu pars monetæ ergo à pari licet voces extra propositionem habeant potentiam, ut exinde fiat propositio, tamen non debent dici actu partes propositionis

R. D. Inam partem antecedentis, metallum latens in mineris habet *potentiam remotam*, ut exinde cudatur moneta C. ant. habet *potentiam proximam* N. ant. Sicut ergo metallum in officinâ monetariâ elaboratum, sit proximè potens induere formam monetæ, & tunc dicitur pars monetæ, sic de voce per intellectum ordinatâ ad propositionem.

ARTICULUS TERTIUS,

De Divisione Termini vocalis.

23. **A**D distinguendum unum terminum ab alio Dialectici maximè attendunt ad modum significandi, fieri enim potest, ut una & eadem vox habeat eandem rem significatam, propter diversum tamen modum significan-

nificandi pertinet ad diversos terminos, v. g. hæc vox: *Petrus*, est terminus *categorematicus*, in quantum sola potest esse integrum subjectum vel prædicatum in propositione. Est etiam terminus *incomplexus*, quia non habet partes separatim significantes. Est terminus *singularis*, quia significat unum tantum &c. Ad vitandam interrim confusionem benè visum est, præsentem articulum in duos paragraphos dividi.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

*De quinque primis Divisionibus Termini
Vocalis.*

CONCLUSIO I. Terminus vocalis ²⁴ imò dividitur in terminum *Categorematicum*, & *Syncategorematicum*.

Declaratur: Terminus *categorematicus* est *significativus per se*, id est: sine aliâ voce adjunctâ vel subintellectâ, *perfectè & determinatè* significat, & *solus* potest in propositione esse *integrum* subjectum, vel saltem prædicatum, ut: *homo, homines*.

Terminus *syncategorematicus* est *consignificativus cum alio*, scilicet termino *categorematico*, nec potest constituere *integrum* subjectum nec prædicatum in propositione, sed velut *pars* propositionis *minus principalis* adjungitur termino *categorematico*, eum-

que modificat. Numerantur autem termini syncategorematici: Imò omnia adverbia modum significantia, ut: *benè, malè, velociter*, 2dò casus obliqui, ut: *domino, lapidis*, 3tò signa logica, sic dicta, quia ex illis colligitur quantitas & qualitas propositionum, ut: *omnis, nullis, aliquis &c.*

His additur terminus *mixtus*, qui unâ voce terminum categorematicum & syncategorematicum *virtualiter & equivalenter* includit. Ut: *nemo*: id est, *nullus homo, nihil*, id est, *nulla res.*

25 Quæres. An etiam nomina adjectiva sint termini categorematici?

R. Affirmativè. Ratio est, quia nomina adjectiva per se significant *determinatam formam*, licet non significant *determinatum subjectum*, sic adjectivum *niger* non quidem significat determinatum subjectum nigredinis, significat tamen determinatam formam, scilicet nigredinem. Deinde adjectiva saltem possunt constituere integrum *prædicatum* propositionis, ut: *homo est albus*, quod sufficit ad terminum categorematicum. Aliud est in signis logicis, quæ *ratione sui* nec possunt esse *integrum* subjectum, nec *prædicatum* propositionis, neque significant aliquam formam determinatam *categorematicè*, sed *syncategorematicè*,

ut

ut enim ait Aristoteles 1. *Perih. Lect. 5.*
Omnis non significat universalitatem, sed uni-
versaliter.

Dices 1^{mo} contra terminum categore-²⁶
 maticum. Si terminus categorematicus
 constitueret solus integrum subjectum vel
 prædicatum in propositione, ergo in hac
 propositione: *homo est animal rationale*, ly
animal non esset terminus categorematicus,
 sed consequens est falsum, ergo & antece-
 dens, P. seq. maj in dictâ proportionem ly
animal solum non constituit integrum prædi-
 catum, ergo.

R. D. prob. sequelæ, ly animal non con-
 stituit integrum prædicatum actu C. ant.
 non constituit integrum prædicatum poten-
 tiâ N. ant. Animal saltem potest constitu-
 ere integrum prædicatum, ut in hac propo-
 sitione: *homo est animal.*

Dices 2^{do} contra terminum syncatego-²⁷
 rematicum. Ideo copula non est terminus
 quia est colligatio partium, sed etiam ter-
 minus syncategorematicus est colligatio par-
 tium, ergo etiam syncategoremata non
 sunt termini. Min. est S. Th. qui 1. *Perih.*
Lect. 1. sic ait: Syncategoremata magis sunt
colligationes partium, quam partes, ergo.

Respondet S. Th. ibid. explicans men-
 tem suam, quod syncategoremata non sint

partes principales propositionis, sed tantum *partes minus principales*, quæ principalibus sive terminis categorematicis adduntur, eosque *modificant*, copula autem non est modus subjecti vel prædicati.

In formâ R. D. maj. Ideò copula non est terminus, quia est colligatio partium *uniens* partes C. maj. *modificans* partes N. maj. sed etiam terminus syncategorematicus est colligatio partium *modificans* partes C. min. *uniens* N. min.

28 Dices 3tiò. Terminus debet per se componere propositionem, sed terminus syncategorematicus non componit propositionem per se, ergo non est terminus. P. min. componit propositionem *cum alio*, nempe categorematico, ergo.

R. D. maj. Terminus debet per se componere propositionem vel ut *pars principalis* vel *minus principalis* C. maj. semper ut *pars principalis* N. maj. sed terminus syncategorematicus non componit propositionem per se ut *pars principalis* C. min. ut *pars minus principalis* N. min.

29 CONCLUSIO II. Terminus secundò dividitur in terminum *Incomplexum* & *Complexum*.

Declaratur: terminus incomplexus vel simplex est, *cujus partes separatae aut prorsus*
nihil

nihil significant, ut homo, vel saltem non significant idem quod conjuncte, ut dominus.

Terminus complexus sive compositus est, cujus partes separate idem significant, quod conjuncte, ut: homo albus.

Quæres. Quæ conditiones requirantur 30 ad terminum complexum.

R. Tres, Prima est, ut una amborum vocum habeat se per modum determinabilis vel substantivi, & alia per modum determinantis vel adjectivi, unde ad terminum complexum non sufficit coacervari Synonyma.

Secunda est, ut ambæ partes sint termini categorematici, & proinde in nominativo, quia terminus complexus debet participare rationem sui divisi vel termini categorematici, atque ita debet habere partes per se significativas, soli autem nominativo convenit per se significare.

Tertia est, ut partes separatæ significant juxta significationem totius, ut in conclusione dictum est.

Defectu harum conditionum à termino complexo excluduntur primò: homo leo, gladius ensis, secundò, nullus homo, filius Petri, aurifaber, tertio, respublica, leopardus &c.

Dices. Non datur terminus compositus, 31

ergo nec complexus, P. ant. quod est *compositum*, hoc pertinet ad secundam mentis operationem, sed terminus non pertinet ad secundam mentis operationem, ergo. P. maj. esse compositum habetur per compositionem, sed compositio pertinet ad secundam mentis operationem, ergo.

R. D. prob. maj. esse compositum habetur per compositionem, *vel judicativam vel apprehensivam* C. maj. habetur per compositionem *semper judicativam* N. maj. sed compositio *judicativa* pertinet ad secundam mentis operationem C. min. compositio *apprehensiva* N. min. Terminus verò complexus est compositus compositione *apprehensivâ*, quæ fit per primam operationem intellectûs, sine affirmatione vel negatione.

32. Urgebis imò. Sed etiam terminus complexus non est compositus compositione *apprehensivâ*, ergo contra solut. P. ant., si terminus complexus esset compositus compositione *apprehensivâ*, ergo non esset terminus, sed consequens est falsum, ergo & antecedens P. seq. maj. terminus debet esse quid *simplex*, sed quod est compositum compositione *apprehensivâ*, non est quid *simplex*, ergo.

R. D. prob. sequelæ, terminus debet esse quid *simplex formaliter* C. maj. debet esse

esse quid simplex *materialiter* N. maj. simili-
liter D. min. N. coram. terminus comple-
xus est compositus *materialiter*, quia con-
stat pluribus vocibus, velut *materiâ*, est ve-
rò simplex *formaliter*, quia est *formaliter*
unus & simplex terminus.

Urgebis 2dò. Sed terminus complexus
non est *formaliter* simplex terminus, ergo
contra solutionem. P. ant. quod non est
formaliter pars, non est *formaliter* simplex
terminus, sed terminus complexus non est
formaliter pars, ergo P. min. totum non est
formaliter pars, sed terminus complexus
v. g. *homo doctus*, est *totum*, ergo P. min.
oratio est totum, sed *homo doctus* est *ora-*
tio, ergo.

R. ad ult. Syllog. C. maj. D. min. sed
homo doctus sub ratione totius est oratio,
C. min. *sub ratione partis* N. min. Sicut ca-
put sub *diversâ ratione* est pars, in quan-
tum ordinatur ad componendum hominem,
& est totum, in quantum est compositum
ex fronte, oculis, ore &c. sic terminus com-
plexus *sub diversa ratione* est terminus & ora-
tio, est terminus, in quantum est pars per se
ordinata ad componendam propositionem,
est oratio, in quantum est aliquod totum
compositum, quod per se non ordinatur ad
aliud componendum.

34 CONCLUSIO III. : Terminus dividitur in *Univocum, Æquivocum & Analogum*.
Ante declarationem hujus divisionis.

Observe, quod terminus univocus (sic de æquivoco & analogo) possit dupliciter accipi, semel pro *univoto univocante*, & semel pro *univocis univocatis*. Univocum univocans est vox vel nomen, quod univocè significat plura, Univoca univocata sunt ipsa plura significata, v. g. *ly homo* est univocus univocans, & significat Petrum, Paulum &c. univoca univocata sunt *Petrus, Paulus &c.*

Declaratur Divisio : Terminus univocus est, qui significat plura convenientia non solum in eodem nomine, sed etiam in eadem ratione, sic *homo* est terminus univocus, quia significat plura sc. Petrum, Paulum, Joannem &c, quibus non tantum nomen *homo*, sed etiam ratio significata per nomen *homo* scil. *Animal rationale*, eodem modo convenit.

Hujus univocationis signum est, quod ad quæstionem, quare Petrus est homo? debeas respondere, quia est animal rationale, quare Paulus est homo? quia est animal rationale.

Terminus æquivocus est, qui significat plura solo nomine convenientia, in ratione verò NB. per nomen importatâ omninò diversa, sic *canis* est terminus æquivocus respectu *canis terrestris*, & *canis cælestis*, quia his quidem
dem

dem convenit nomen canis, sed sub diverſa ratione.

Cujus ſignum eſt, quod ad quaſtionem, quare canis terreſtris eſt canis? debeas reſpondere, quia eſt animal larrabile, quare canis cœleſtis eſt canis? quia eſt certa ſeries ſtellarum, in ſpecie canis, ubi vides diverſam rationem.

Dictum eſt: *in ratione NB. per nomen importata*, quia canis terreſtris & cœleſtis in alia ratione v. g. corporis, albi, ſubſtantiaë, univocè convenire poſſunt.

Terminus analogus eſt, qui ſignificat plura nomine convenientia, in ratione verò per nomen ſignificata, neque omninò eadem, ut in termino univoco, neque omninò diverſa, ut in termino æquivoco, ſed partim eadem, & partim diverſa.

Quod dupliciter fieri poteſt, 1mò, ratio ſignificata per nomen analogum eſt eadem ſecundùm terminum, diverſo tamen modo pluribus convenit, & tunc eſt terminus *analogus analogiã attributionis*, v. g. *ſanum* convenit tam animali, quàm colori & medicinaë, diverſo tamen modo, quia animal dicitur ſanum, in quantum eſt ſubjectum ſanitatis, color eſt ſanus, in quantum eſt ſignum ſanitatis, medicina eſt ſana, in quantum eſt cauſa ſanitatis. 2dò, ratio ſignificata per no-

nomen analogum est simpliciter in pluribus diversa, cum aliqua tamen similitudine dicitur tam de uno quàm de altero, & tunc est terminus *analogus analogiâ proportionalitatis*, v. g. *Principium* respectu auroræ & cordis, sicut enim se habet aurora ad principiendam diem, sic se habet cor ad principiendam vitam. Circa terminum analogum analogiâ attributionis.

Advertendum. Quod in analogis analogiâ attributionis reperiantur duplicis generis analogata, unum dicitur *analogatum* vel significatum *principale*, cui velut subjecto ratio per nomen analogum significata intrinsecè inest: unde axioma: *Nomen analogum st at pro famosiore analogato.* Alia sunt analogata minùs principalia, quæ illam rationem tantùm participant *extrinsecè*, & ordinantur ad analogatum principale, v. g. ratio significata per nomen *sanum* est sanitas, principale analogatum est *animal*, cui sanitas est intrinseca, analogata minùs principalia sunt, *color* & *medicina*, cum illa tantùm dicantur sana extrinsecè, & ordinentur ad sanitatem in animali, vel indicandam, ut: *color*, vel causandam, ut: *medicina*.

Dubitabis. Si substantivo æquivoco ad-
37. datur adjectivum determinans significatio-
nem

nem nominis, v. g. *canis corporeus*, an tunc substantivum maneat æquivocum, an fiat univocum?

R. Fieri terminum univocum. Ratio est, quia tunc nomen v. g. *canis* quod absolute sumptum significabat rationes diversas, determinatur per adjectivum v. g. *corporeus* ad significandam formaliter unam rationem corporis, quam *canis* terrestris & cœlestis univocè participant.

CONCLUSIO IV. : terminus 41038. dividitur in *communem* & *singularem*.

Declaratur: Terminus communis est, qui significat *plura divisim*, id est, qui significat plura, de quibus *singulis* in *distinctis* propositionibus affirmari potest, ut: *animal* significat hominem & brutum, & de quolibet illorum per distinctas propositiones prædicari potest. Unde patet differentia inter terminum communem & collectivum, quia terminus *collectivus* quidem significat plura, sed *simul & conjunctim*, neque de *singulis* prædicari potest, sic exercitus NB. *collectivè sumptus* non potest prædicari de singulis militibus, sed tantum de omnibus simul.

Dictum est: *Exercitus NB, collectivè sumptus*, scilicet pro totâ collectione militum, si enim sumatur *divisivè*, respectu hujus & illius exercitûs, tunc est terminus communis,

nis , ergo idem nomen v. g. *exercitus* sub diverso respectu est terminus collectivus , & communis , sicut idem nomen v. g. *canis* sub diverso respectu potest esse æquivocus & univocus.

- 39 Terminus singularis est , qui unum tantum NB. *per se* significat , ut : *Petrus*. Dictum est : *unum tantum* NB. *per se* significat , quia *per accidens* est , quod ex particulari hominum impositione plures habeant nomen Petri.

Terminus singularis quadruplex est imò *determinatus* , qui unum absolutè & determinatè significat , ut : *Petrus*. 2dò *demonstrativus* , quando termino communi apponitur pronomen demonstrativum , ut : *Hic homo*. 3tiò , *vagus* , quando termino communi additur signum logicum , ut : *Aliquis homo* , 4to *ex suppositione* , quando factâ aliquâ suppositione unum tantum significatur , ut ex suppositione , quod B. V. habuerit unicum filium , *B. M. V. Filius* ponitur pro Christo.

- 40 Dices. Hoc nomen *sol* est terminus communis , sed *sol* non significat plura divisim , ergo terminus communis malè definitur , quod significet plura divisim , P. min. non dantur plures soles , ergo.

R. D. prob. min. non dantur plures soles

les actu C. ant. potentiâ N. ant. Ad terminum communem sufficit, quod plura possint dari, plures autem soles absolutè sunt possibiles.

Urgebis. Ergo saltem hoc nomen *Deus* 41 non erit terminus communis. P. seq. plures Dii nec actu dantur, nec dari possunt, ergo.

R. D. seq. hoc nomen *Deus* non est terminus communis quoad rem significatam C. seq. quoad modum significandi N. seq. Res significata per nomen *Deus*, scilicet natura Divina non est communis, sed summè singularis, nomen tamen *Deus* habet modum significandi communem, quia non exprimit singularitatem, hæc enim exprimeretur, dicendo: *hic Deus*. Unde *ly Deus* est terminus communis *Communitate Dialecticâ*, quæ sumitur penes modum significandi, non verò *communitate Logicâ*, quæ dicitur universalitas, & spectari debet penes rem significatam.

CONCLUSIO V. Terminus 5to di. 42 videtur in *Transcendentem* & non *Transcendentem*.

Declaratur, Terminus transcendens est, qui in omnibus rebus invenitur, & de omnibus potest prædicari. Transcendentia autem enumerantur sex, scilicet: *Res, Ens, Verum, Bonum, Aliquid, Unum*, *ly Res* indicat

dicat essentiam, ly *Ens* existentiam, ly *Verum* indicat, quod omnia possint ab intellectu cognosci, ly *Bonum*, quod omnia possint à voluntate appeti, ly *Aliquid*, quod una res non sit alia, ly *Unum*, quod res in se sit unum quid & non plura.

Terminus non transcendens est, qui *in aliquibus tantum invenitur*, & de iis prædicatur, ut: *homo*.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

De cæteris Divisionibus Termini.

43 CONCLUSIO VI. Terminus 6to dividitur in *Concretum & Abstractum*.

Declaratur. Terminus concretus est, qui *significat formam simul & subjectum*, ut *album* significat albedinem, quæ est forma, & subjectum, cui albedo inest.

Terminus abstractus est, qui *significat solum formam*, ut: *albedo*.

44 Terminus concretus & abstractus subdividuntur in *Substantialem & Accidentalem*, quæ subdivisio faciliè intelligitur ex axioma Dialectico; *Tale est concretum vel abstractum, qualis est forma significata*, unde

1^o concretum substantiale est, quod significat formam *substantialem* cum *subjecto*, ut: *homo*.

2^o concretum accidentale est, quod

fig-

significat formam *accidentalem* cum sub-
jecto, ut: *album*.

3^o abstractum substantiale est, quod
significat solam formam *substantialem*, ut
humanitas.

4^o abstractum accidentale est, quod
significat solam formam *accidentalem*, ut:
albedo.

Terminus concretus accidentalis iterum⁴⁵
alius est *intrinsecè denominans*, alius *extrin-*
secè denominans. Terminus concretus acci-
dentalis intrinsecè denominans est, qui sig-
nificat formam accidentalem & simul sub-
jectum, cui talis forma intrinseca est, vel in-
hæret, ut: *dulce*, significat dulcedinem velut
formam accidentalem intrinsecam vel inhæ-
rentem subjecto, v. g. *melli*, *Saccharo* &c.
hoc dicitur *subjectum inhesionis*, & *denomina-*
tionis intrinseca.

Terminus concretus accidentalis extrin-
secè denominans est, qui significat formam
accidentalem & simul subjectum, ad quod
talis forma tantum extrinsecè terminatur,
non verò ei inhæret, ut *visum* significat visi-
onem velut formam accidentalem, quæ sub-
jecto v. g. *parieti* non inhæret, sed tantum
ad illum terminatur, & denominat parietem
extrinsecè *visum*, unde paries respectu visio-
nis

nis non est subiectum inhæſionis, ſed tantum denominationis extrinſecæ.

46 Dices. Terminus concretus & abſtractus non differunt, ergo mala eſt diſiſio, P. ant. terminus concretus & abſtractus *idem ſignificant*, v. g. *album* & *albedo* ſignificant eandem formam, ergo.

R. ad Prob, ant. D. ant. terminus concretus & abſtractus ſignificant *idem ex parte rei ſignificatæ* C. ant. ſignificant *idem ex parte modi ſignificandi* N. ant. eadem eſt res ſignificata per *ly album* & *albedo*, modus tamen ſignificandi eſt diverſus, nam *album* ſignificat albedinem ſimul & ſubiectum, *albedo* vero ſignificat ſolam albedinem non ſignificando ſubiectum.

47 Urgebis. Sed *albedo* non poteſt ſignificari ſine ſubiecto, ergo contra ſolut. P. ant. *albedo* debet ſignificari, ſicut eſt, ſed *albedo non eſt ſine ſubiecto*, ergo. P. min. forma accidentalis non eſt ſine ſubiecto, ſed *albedo* eſt *forma accidentalis*, ergo.

R. D. P. ant. *albedo* debet ſignificari *quoad rem ſignificatum* ſicut eſt C. maj. debet ſignificari *quoad modum ſignificandi* N. maj. & C. min. D. cons. res ſignificata per *ly albedo* ſemper ineſt ſubiecto, hæc tamen vox *albedo* quoad modum ſignificandi non exprimit ſubiectum albedinis.

CON-

CONCLUSIO VII. Terminus 7^{mo} dividitur in *Connotativum* & *Absolutum*.

Declaratur. Terminus connotativus est, qui *significat aliquid per modum alteri adjacentis*, aut per modum adjectivi, sive sit verum adjectivum ut : *album*, *dulce*, sive habeat modum significandi adjectivum, ut : *Domini*, *Servus*, quæ connotant subjectum.

Terminus absolutus est, qui *significat aliquid per modum per se stantis*, aut per modum substantiæ, sive sit vera substantia, ut : *homo*, *lapis*, sive habeat modum significandi proprium substantiæ, ut : *dulcedo*, *albedo*, quæ significant formam non connotando subjectum.

Quænam nomina sint termini connotati-49 vi & quænam absoluti, discernendum est ex sequentibus regulis.

Prima: omnia nomina adjectiva sunt termini connotativi, ut, *album*, *humanum*.

2da: nomina substantiva concreta significantia formam *accidentalem* sunt termini connotativi, ut : *Pater*, *Rex*, *Pictor*.

3tia: nomina substantiva concreta significantia formam *substantialem* sunt termini absoluti, ut, *homo*, *leo*, *arbor*.

4ta: omnia nomina abstracta sunt termini absoluti, ut : *albedo*, *humanitas*.

Dices. Nomina adjectiva : *cæcus*, *in-*50 *doctus*, & similia non sunt termini connota-

rivi, ergo non omnia adjectiva sunt termini connotativi, P. ant. non significant aliquid per modum alteri adjacentis, ergo, P. ant. significant *absentiam forma*: visionis, doctrinae &c. ergo.

R. D. 2dum ant. non significant aliquid per modum alteri *positivè adjacentis* C. ant. non significant aliquid per modum alteri *adjacentis privativè* N. ant. *Cæcus* enim significat cœcitatem vel privationem visûs, quasi illa adjaceret oculo. Pro meliori notitiâ horum terminorum.

51 Advertendum Imò, quod omnes termini connotativi sint concreti, non tamen omnes termini concreti sint connotativi, nam *homo* est terminus concretus, & tamen non est terminus connotativus. Similiter omnes termini abstracti sunt absoluti, non tamen omnes termini absoluti sunt abstracti, nam *lapis* est terminus absolutus, & tamen non est terminus abstractus.

52 2dò, in termino connotativo & concreto accidentali distingui debet duplex significatum, unum *formale* & *primarium*, alterum *materiale* & *secundarium*, significatum formale est ipsa forma, quæ nomine connotativo vel concreto accidentali exprimitur, significatum materiale est subjectum, cui talis forma adjacet vel inhæret. Dicitur

tur autem forma significatum primarium, quia NB. *secundum significationem* forma importatur in recto vel nominativo, subjectum verò in obliquo, *album* enim quoad significationem sic philosophicè explicatur: *albedo adjacens vel inherens subjecto.*

Dictum est NB. *secundum significationem*, si enim spectetur suppositio, quam ly *album* habet in propositione, sic explicatur, *album est res habens albedinem*, ubi subjectum importatur in recto, & forma in obliquo, unde *album* primariò significat formam, *supponit* tamen pro subjecto, v. g. in hac propositione: *saccharum est dulce*, ly *dulce* non supponit pro dulcedine, aliàs illa propositio faceret hunc sententiam: *saccharum est dulcedo*, sed supponit pro subjecto, ut sensus propositionis sit: *saccharum est subjectum dulcedinis.*

CONCLUSIO VIII. Terminus 8vò di- 53
viditur in terminum *Finitum* & *Infinitum*.

Declaratur: Terminus finitus est *vox*, cui nulla negatio immediate apponitur, & prætereà rem determinatam determinatè significat, ut: *homo*. Terminus infinitus est, cui particula *NON* immediate anteponitur, & nullam rem determinatè significat, ut: *non-lapis*, hic enim terminus *non-lapis* non significat, quid res sit, sed tantùm, quid non sit, & de omnibus (præterquam de lapide)

pide in infinitum prædicari potest, v.g. *homo est non lapis, equus est non lapis &c.* ubi

- 54 Advertendum insuper, quod negatio apud Philosophos sit duplex, alia *negans*, alia *infinigans*, negatio negans est: quando particula *non* in propositione afficit copulam, & facit propositionem negativam, ut: *lapis non est homo.* Negatio infinigans est, quando particula *non* afficit solum terminum, eumque reddit infinitum, vel incertum, ut dictum est.

- 55 CONCLUSIO IX. Terminus quò dividitur in terminum *Primæ intentionis*, & terminum *Secundæ intentionis*.

Declaratur: Terminus primæ intentionis *significat aliquid reale*, sive quod rei convenit independenter ab intellectu, ut: *animal, homo.*

Terminus secundæ intentionis est, qui *significat aliquid rationis*, sive quod rei convenit tantum per intellectum, ut: *subiectum, prædicatum, genus, species &c.* de quibus in Logicâ.

- 56 CONCLUSIO X. Termini *inter se comparati* dividuntur in *Pertinentes* & *Impertinentes*.

Declaratur: Termini impertinentes sunt, *inter quos nulla est habitudo connexionis vel repugnantie*, sive quorum unus alium nec infert,

fert , nec excludit , ut *sapiens & dives* in homine , non enim sequitur per affirmati- nem , *homo est sapiens* , ergo *est dives* , ne- que per negationem , ergo *non est dives* , sed sapientia potest esse in homine vel cum , vel sine divitiis.

Termini pertinentes sunt , *inter quos est habitudo connexionis vel repugnantie* , id est , quorum unus vel sequitur ex altero per affir- mationem , & tum dicuntur termini per- tinentes *sequelâ* , ut : *est homo* , ergo *est animal* , vel unus excluditur ab altero per negatio- nem , & tum dicuntur termini *pertinentes repugantiâ* , ut : *est homo* , ergo *non est equus*.

Termini pertinentes *sequelâ* alii sunt *con-* 57 *vertibiles* , alii *non convertibiles* , illi sunt convertibiles , quorum unus infert alterum , & vicissim ab illo infertur , ut , *est homo* , er- go *est rationalis* , & e contra , *est rationalis* , ergo *est homo* . Termini non convertibiles sunt , quorum unus infert alterum , non ta- men vicissim ab altero infertur , quamvis enim bene sequatur , *est homo* , ergo *est ani- mal* , non tamen vice versâ : *est animal* , er- go *est homo* .

Termini pertinentes *repugantiâ* alii sunt 58 *disparati* , alii *proprie oppositi* , *disparati* sunt , qui habent inter se naturalem diversitatem , non tamen *proprie dictam oppositionem* ,

ut : *homo & equus*. Propriè oppositi sunt , quos intercedit vera aliqua oppositio.

Quadruplex autem est oppositio terminorum.


59 1^{ma} *contraria* , quâ duo *positiva* se mutuò expellunt ab eodem subjecto , ut : *calor & frigus*.

2^{da} *contradictoria* , quæ intercedit inter duos terminos , quorum unus est finitus , alter infinitus , sic opponuntur : *homo, non homo*.

3^{cia} *privativa* , quæ intercedit inter formam & ejus privationem , sic opponuntur *Vita & Mors*.

4^{ta} *relativa* , quæ intercedit inter duos terminos , quorum unus dicit relationem ad alteram , sic opponuntur *Pater & Filius*.

Hæc de terminis dicta sufficient. *Cætera, quæ de Universalibus, Antepredicamentis, Predicamentis, & Postpredicamentis ab aliquibus ad Dialecticam transcribuntur, utilius in Logicâ discutientur.*



INFORMATIO SECUNDA.

De Nomine, Verbo, & Oratione.

ARTICULUS PRIMUS.

De Nomine.

1. CONCLUSIO. Nomen benè definitur *vox significativa ad placitum, sine tempore,*